

sionum perturbatione. Hic est status felicissimus, quo pertingunt animæ a carnis appetitibus expurgatæ, non quia penitus careant passionum rebellionem, sed quia illas ita sedatas habent, ut raro animam a sua quasi beatitudine inchoata deturbent, cave a doctrina de Molinos damnata ab Innoc. XI. propos. 55. & 62. ubi asseritur pax omnimoda, & imperturbabilis animæ per viam internam, in hac enim vita non est appathia Stoica, nec pax perpetua. Sed semper oportet vigilare, & arma virtutum strenue exercere.

91. *Patientia*, & *longanimitas* perficiunt animam intra se ipsam ad superandas adversitates interiores, ac exteriores hujus vitæ, & dilationem bonorum gloriæ. *Bonitas*, & *benignitas*, *mansuetudo*, & *fides* perficiunt animam erga proximos, communicando eis sine fraude, aut ira, sed potius sincere, benigne, & fideliter bona tum spiritualia, tum temporalia. Denique *modestia*, *continentia*, & *castitas* perficiunt animam circa passiones, & concupiscentias, regulando eas, & actiones exteriores suaviter ex motione superiori. Hi sunt gloriosi fructus laborum, qui etiam in hac vita colliguntur a fervore in vinea Domini, hoc est in propriæ animæ cultura fervide laborantibus, quibus deinde a patrefamilias parata est merces æterna.

PUNCTUM IV.

De beatitudinibus.

92. Inq. 1. Quot sunt beatitudines? R. Octo numerantur Matthæi 5. Sunt autem quidam actus donorum, quibus ex motione speciali Spiritus Sancti ad vitam æternam accedimus. Quatuor pertinent ad remotionem, & exclusionem falsæ beatitudinis; nimirum, *paupertas spiritus*, quæ amorem inordinatum divitiarum excludit. *Mansuetudo*, quæ inordinatas passiones irascibiles moderatur. *Luclus*, aut *fastus*, qui inordinatas passiones delectationes, & gaudia amovet. Et *patientia* in persecutionibus, quæ renuit favorem, & applausum humanum. Aliæ vero spectant ad dispositionem, & tendentiam ad veram beatitudinem, ad quam disponimur, &

tendimus per ardens illius desiderium, quod per famem, & sitim justitiæ significatur; per opera misericordie, quæ erga proximos exercetur; per cordis munditiam, quæ ad Dei visionem disponit, & denique per pacem cum proximo, quæ perfectissimum justitiæ, & caritatis opus est. D. Th. 1. 2. q. 69. a. 3.

93. Inq. 2. Cur cum dona sint tantum septem, eorum operationes, seu beatitudines numerantur octo? R. hoc ideo est, quia octava ad septem præcedentes attinet: & ponitur tanquam confirmatio, manifestatio, summa, aut collectio earum. Ita D. Th. 1. 2. q. 69. a. 3. ad 5.

94. Inq. 3. Cur S. Lucas quatuor tantum beatitudines posuit; octo vero S. Mattheus? R. 1. Quod in quatuor includuntur octo, & in octo explicantur amplius quatuor: unde easdem beatitudines posuit uterque Evangelista, licet Mattheus expressius illas designavit. Ita Sanctus Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 6.

95. R. 2. Quod apud Mattheum loquebatur Dominus cum discipulis, quibus ut melius dispositis, & perfectionem sequentibus exposuit omnes beatitudines. Sed apud Lucam sermonem habebat ad turbas, quibus satis fuit proponere illas, quæ, ut diximus, pertinent ad remotionem falsæ beatitudinis. Ita D. Thom. ubi supra ad 6.

96. Inq. 4. In quo differant virtutes naturales, supernaturales, dona, fructus, & beatitudines? R. differunt pluribus. Præcipue vero in eo, quod virtutes naturales operantur media prudentia naturali, supernaturales vero media prudentia supernaturali, & fide divina. Dona addunt alium modum, quo speciali impulsu Spiritus Sancti homo exercet actus virtutum promptius, & perfectius. Fructus addunt insuper suavitatem, & delectationem in earum exercitio, & operatione. Tandem beatitudines addunt, atque efficiunt, quod dicti actus virtutum evadant valde heroici, & perfectissimi. Differunt etiam in eo, quod virtutes, & dona sunt habitus; fructus vero, & beatitudines sunt actus.

97. Inq. 5. An donum perseverantiæ finalis sit idem, ac donum confirmationis in gratia? R. neg. quia primum est commune omni prædestinato; non vero

secundum, nisi quibusdam excellentioribus sanctis, ut Apostolis in novo testamento, & aliquibus in veteri.

MONITUM.

98. Explanatio virtutum debet nos allicere ad earum diligens exercitium. Si enim virtutis pulchritudo videretur, abriperet suaviter post se corda hominum;

omnia quippe bona veniunt pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius: nam flores ejus sunt fructus honoris, & honestatis in hac vita, ac sempiternæ felicitatis, & gloriæ in altera. Philosophi antiqui, licet hujus felicitatis ignari, adeo virtutem colebant, ut Aristoteles non dubitaverit dicere, & docere: *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* 3. Ethic.

TRACTATUS QUINTUS

DE VITIIS, ET PECCATIS.

Cum opposita juxta se posita magis dignoscantur, postquam egimus de virtutibus, aggredimur tractatum de vitiis, & peccatis, quæ ipsis virtutibus opponuntur. Ang. Doctoris sequentes vestigia, qui de illis agit 1. 2. q. 71. & seq.

CAPUT I.

De nomine, & natura vitiorum.

1. *Vitium* a verbo *vito* derivatur, eo quod vitandum, & respiciendum sit. Omne, quod deficit a recta regula, *vitium* dicitur. Sic in naturalibus claudicatio est vitium tibie, in artificialibus deficere a regulis artis est vitium artefacti, & in moralibus deviare a regulis rationis est vitium animæ, de quo loquimur in præsentii. Verum licet vitium ita sumptum sæpe confundatur cum peccato, & pro eodem vitium, & peccatum usurpentur, tamen plurimum distinguuntur: quia vitium est quid permanens, peccatum vero actio transiens. Vitium potest esse in anima, licet nihil agat; peccatum vero est actualis operatio. Imo potest quis esse in gratia, quin penitus destruat vitium, non vero quin destruat peccatum.

2. Inq. 1. Quid sit vitium? R. Est *malitia* qualitas mentis, quæ male vivitur, & nemo bene utitur. Vel est *dispositio mali ad pessimum*. Vel est *habitus acquisitus per actus malos inclinans ad similes actus*. Prima, & secunda definitio cons-

Tom. I.

tat ex opposito ad virtutem; tertia vero ex ipsis terminis. Hæc tria *vitium*, *malitia*, & *peccatum* opponuntur *virtuti*, *bonitati*, & *actui bono*, nam imprimis virtus est qualitas conveniens subiecto; vitium autem disconveniens: deinde sicut malum opponitur bono, ita malitia bonitati; & denique actus bonus est ordinatus, peccatum vero est actus inordinatus: erg. invicem opponuntur.

3. Inq. 2. Quomodo vitia virtutibus opponantur? R. opponi contrariè formaliter, & directe virtutibus acquisitis, & indirecte infusis. Probatur quoad primam partem, quia vitia, & virtutes acquisitæ sunt aliquid positivum, & ab eodem subiecto formali mutuo se expellunt, ut humilitas, & superbia: erg. contrarie, & directe opponuntur. Sed quia virtutes infusæ non contrariantur vitis sub eadem ratione formali, cum sint supernaturales, ideo solum indirecte contrariantur.

4. Objic. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maxime distant: hoc est inter extrema opposita; sed virtus non consistit in extremo, sed in medio: ergo virtus non est maxime distans a vitio: quia medium minus distat ab extremis, quam extrema inter se: ergo inter illa non datur oppositio contraria. R. quod licet virtus moralis ratione materiæ sit medium inter duo extrema; in ratione tamen formali virtutis est extremum maxime distans a vitio: quia hoc est disconveniens rationi, virtus vero conveniens: quæ munera extremam dist-

Gg

cunt

cuat oppositionem, ut ex se patet: medium enim rationis est extremum oppositum omni vitio: quia omne vitium est contra regulas rationis.

5. Inq. 3. An omnia vitia sint contra naturam hominis? R. affirm. Ita D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 2. Ubi laudat D. Augustinum dicentem: omne vitium eo ipso, quod vitium est, contra naturam est. Prob. quod est contra naturam animæ rationalis, est contra naturam hominis, cum anima rationalis sit forma hominis; sed vitium est contra naturam animæ rationalis, cum sit contra rationem: ergo est contra naturam hominis. Notandum, quod licet omnia vitia sint contra naturam; aliqua tamen peculiari ratione ita appellantur: quia præter oppositionem, quam dicunt ad animam rationalem, opponuntur etiam naturæ sensitivæ; repugnant enim modo, & ordini a natura instituto, ut pollutio, sodomia, & bestialitas.

6. Inq. 4. An actus vitiosus, seu peccatum superet simpliciter in malitia habitum vitiosum? R. affirm. quia malitia, vel bonitas moralis consumatur, & completur per actum: ergo iste superat habitum. Unde poena, aut præmium non datur pro habitibus, sed pro actibus. Et licet habitus diuturnior sit, hoc solum probat, quod sit peior, aut melior, quam actus secundum quid; actus vero simpliciter peior est habitus.

CAPUT II.

De vitiis capitalibus

7. Vitia capitalia dicuntur illa, a quibus plura alia oriuntur: quia omne principium directivum caput metaphorice vocatur: prædicta autem vitia dirigunt alia, sicut caput cætera membra. Septem communiter numerantur, quæ comprehenduntur in hac dictione: Saligia: itaut culibet literæ correspondet unum vitium capitale. v. g. S. superbia. A. avaritia. L. luxuria. I. invidia. G. gula. I. ira. A. accidia. Ex his luxuria, & gula dicuntur vitia carnalia, cætera quinque spiritualia. Non omnia peccata capitalia sunt mortalia, quia plerumque sunt tantum venialia: non enim appellantur capitalia, quia mortalia sint, sed quia ut dictum

est, se habent, ut caput: & radix aliorum. His notatis in communi, de illis in particulari, nunc brevi calamo est agendum.

SUPERBIA.

8. Inq. 1. Quid sit superbia? R. est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. Hæc primum Angelum eiecit de coelo: hæc primum hominem relegavit de paradiso: hæc initium est omnis peccati, hoc vitium est ille Goliath exprobrans agmina Dei Israel: quo strenue per veram humilitatem prostrato, facile reliqua vitia superantur, & gloriosa de omnibus Filiis reportatur victoria.

9. Superbia est peccatum mortale ex genere suo, ut si homo in materia gravi respuat se subijcere Deo, vel ejus mandatis, aut inordinate se præferat aliis. Quatuor species superbiæ assignat ex S. Gregorio, D. Thom. 2. 2. q. 162. a. 4. Prima, æstimare bonum a se ipso habere. 2. Desuper sibi datum pro suis credere accepisse meritis. 3. Judicare, & jactare, se habere, quod non habet. 4. Despectis cæteris, appetere singulariter honores. Prima, & secunda sunt peccata mortalia, si deliberate procedant; aliæ duæ ob materiam levitatem venialia esse possunt.

10. Duodecim gradus superbiæ oppositi totidem gradibus humilitatis numerantur a D. Bernardo, nempe, curiositas, mentis levitas, inepta letitia, jactantia, singularitas, arrogantia, presumptio, excusatio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas, peccandi consuetudo.

11. Tres sunt præcipue filie superbiæ: vanagloria, ambitio, & presumptio. Vanagloria est inordinatus appetitus manifestationis propriæ excellentiæ. Superbia appetit propriam excellentiam. Vanagloria illius manifestationem. Ambitio est inordinatus appetitus honoris, & dignitatis. Presumptio, de qua nunc, est appetitus inordinatus aggrediendi aliquid supra vires, ut officia, & dignitates supra merita.

12. Vanagloria septem habet filias, quæ sunt inobedientia, quæ ex contemptu violatur Superioris præceptum. Jactantia, quæ

quæ inordinate propriam extollit excellentiam per verba. Hipocrisis, quæ est simulatio sanctitatis ad captandos honores. Contentio, quæ est impugnatio veritatis cum alteratione verborum. Pertinacia est adhasio nimia propriæ sententiæ. Discordia est contrarietas, & oppositio voluntati alterius: Denique inventio novitatis est, quæ excogitat novas opiniones, novasque insolitas vestes. Plura ex his vitiis licet originem habeant a superbia, opponuntur directe aliis virtutibus præter humilitatem; & ex qualitate oppositionis venanda est qualitas, & quantitas peccati.

AVARITIA, ET LUXURIA.

13. Avaritia est appetitus inordinatus divitiarum. Peccatum avaritiæ potest tripliciter committi, nempe inordinate appetendo, acquirendo, retinendo. Si appetat, acquirit, aut retineat alienum invito domino opponitur justitiæ. Si proprium plus æquo retineat, opponitur liberalitati, & etiam potest opponi caritati, & misericordie.

14. Avaritia, quæ radix est omnium malorum juxta Apostolum. 1. ad Timot. 6. habet septem filias secundum D. Gregorium. lib. 31. moral. cap. 31. Proditionem, fraudem, fallaciam, perjuriam, inquietudinem, violentiam, & obdurationem contra misericordiam.

15. Luxuria est appetitus inordinatus venereorum, de qua suo loco fusius agemus.

INVIDIA.

16. Quid sit invidia? R. est tristitia de bono alterius: ut si quis tristetur de bono alieno, quatenus excedit proprium, illudque diminuit, non effective, sed apparenter: Si vero tristitia sit de bono temporali, quatenus alter abusus sit illo in Dei offensam, aut ad aliud malum: vel quia eo quis indiget, non erit invidia: nec similiter, si tristatur de bono temporali alterius indigni, ut indignus est: aut si quis tristatur de bono alterius, in quantum ex eo tibi, vel aliis times nocumentum, non est invidia, sed timor, qui per se non est peccatum, nisi inordinatus sit, vocatur nemesi hic affectus.

17. Invidia proprie non est ad inferiores, ut tales, sed ad æquales, & majores, qui non multum distant a sua conditione, vel statu: nam, ut inquit D. Thom. plebejus non invidet Regi, nec Rex plebejo; sed his, qui sunt propinqui, quibus se nititur æquare, vel præferre.

18. Ex genere suo invidia est peccatum lethale, quia directe opponitur caritati. Et si invidia sit de ipsa gratia, & auxilio Dei, tunc erit peccatum gravissimum specie distinctum, atque in Spiritum Sanctum. Plerumque autem in individuo tantum est veniale ob parvitatem materiæ, vel defectum deliberationis.

19. Filie individue quatuor sunt, 1. odium. 2. detractio. 3. gaudium in malis proximi. 4. sussurratio: quæ omnia ex genere suo sunt mortalia, quatenus opponuntur caritati, & justitiæ.

GULA.

20. Inq. Quid sit gula? R. est appetitus inordinatus cibi, & potus. Opponitur abstinentiæ, committiturque quinque modis hoc versu comprehensis: præpropere, laute, nimis, ardentem, sturdiose. Hoc est, si edas ante tempus, si nimis exquisita, si plus justo, si voraciter, si exquisite parata.

21. Dividitur gula in duas species, nempe in comessionem, & ebrietatem. Prima in cibi immoderata, secunda in potus nimia sumptione consistit: & utraque opponitur virtuti temperantiæ. Comedere, & bibere ob solam delectationem capiendam, est peccatum gula: quia extrahit actum a fine intento a natura, qui est nutrire, & reparare vires per cibum, & potum. Unde audire musicam, aspicere res pulchras, & olfacere aromatics ob solam voluptatem, est etiam contra rationem; quia istæ res principaliter fuerunt ab auctore naturæ ordinatæ, ut ex illis homo prudenter, non pro sola voluptate, delectationem caperet.

22. Nota, quod delectatio, quæ percipitur in cibo, & potu sumptis in alimentum, & reparationem virium licita, & bona est, ut ait D. August. lib. 1. contra Julianum c. 14. Non solum cibo, sed

sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Delectatio ergo cibi, & potus bona, & licita est, dummodo non assumatur ut finis. Aliud enim est comedere cum sapore, aliud comedere propter saporem, seu voluptatem. Primum est licitum, secundum vero illicitum.

23. Gula ex genere suo non est peccatum mortale, ut docet D. Thom. de Malo q. 14. art. 2. ubi distinguens peccata ex genere suo mortalia, & gulam, hæc habet: *Peccatum autem gulæ consistit in concupiscentia inordinata delectationis ciborum. Ipsa autem ciborum delectatio secundum se considerata, non contrariatur caritati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi, sed secundum quod additur inordinatio, potest quodammodo contrariari, & quodammodo non contrariari. Et concludit infra: Et ideo gula secundum rationem suæ speciei non habet, quod sit peccatum mortale.* Intellige de gula respectu delectationis ciborum,

24. Es tamen gula peccatum mortale in sequentibus: 1. Si quis propter gulam violaret præcepta Ecclesiæ. 2. Si, ut gulæ satisfaceret, non restitueret debita. 3. Si ex ejus gula scandalum aliis oriretur. 4. Si propter gulam explendam detrimentum grave familiæ inferret. 5. Si propter gulam suæ salutem graviter noceret. 6. extra necessitatem extremam carnis humanis vesceretur. Tandem quando adhæret delectationi gulæ tamquam ultimo fini.

25. Quinque vitia ex gula oriuntur, quæ enumerat D. Thom. 2. 2. q. 148. a. 6. *Inepta lætitia*, quæ si in cantileonas, & choreas turpes, & alia similia erumpat, evadit mortalis. *Scurrilitas*, quæ dum in gestus impudicos prorumpit, vel in graves proximi subsanationes, etiam est mortalis. *Immunditia*, quia ex saturitate, vel emissio seminis, vomitus, aut alia vitia nascuntur. *Multiloquium*, aut inconsideratio in loquendo. *Hebetudo mentis*, quia turbatur ratio vaporum multitudine, & erit mortalis, si ad obeundum sui status reddatur inhabilis.

EBRIETAS.

26. Inq. 1. Quid sit ebrietas? R. est voluntarius excessus in potu inebriare valente usque ad amissionem usus rationis. Opponitur sobrietati, quæ est virtus debite moderans appetitum, & usum potus inebriare valentis. Unde sobrius idem est, ac servans briam. Ebrius vero dicitur, quasi ebria; seu extra briam, sive mensuram in potu, quam sobrius observat.

27. Est peccatum mortale ex sua specie. Patet ex 1. ad Corinth. 6. *Neque fornicarii, neque ebrii regnum Dei possidebunt.* Et ratio est: quia ebrietas est voluntaria, & violenta privatio usus rationis, quæ quidem mortalis est, cum sibi inferat grave damnum.

28. Quando ebrietas est voluntaria, omnia damna, & peccata subsequuta ex illa, imputantur ebrio, si prævisa fuerint: quia sunt voluntaria in causa. Unde in c. mulieres, de sent. excommunic. excommunicatur, qui in ebrietate occidit clericum, quia id antea prævidit. Illa autem damna, & peccata reputantur prævisa, quæ ebrius in aliis ebrietas, tibus expertus est commississe. E contra vero non reputantur prævisa alia mala, quæ connexionem non habent cum ebrietate, nec ratione personæ, aut loci, nec ratione alterius circumstantiæ, sed casu eveniunt, aut ex malitia aliorum, qui ebrium ad mala provocant; & hujusmodi fuit incestus Loth, quem excusant D. Thomas, & D. Augustinus de peccato incestus, utpote inconnexum cum ebrietate.

29. Si aliquis se inebriet non advertens periculum ebrietatis, ut fecit Noe, non peccat graviter, sed qui sæpe se inebriavit, excusationem non habet, quia sufficienter agnoscit hujusmodi periculum. Unde non solum illi, qui de facto se inebriant, sed qui se exponunt periculo ebrietatis, graviter peccant. Similiter potantes usque ad mentis turbationem, quia calefacti vapore vini, magis inardescunt ad bibendum, & vix continere se valent, nec advertere possunt futura absurda, quæ ex tali potatione plerumque proveniunt.

30. Qui alium ad ebrietatem inducit,

lethaliter peccat, quia est causa talis ebrietatis. Idem est de illis, qui ad æquales calices, vel haustus se provocant, quia ad minus se exponunt ebrietatis periculo.

31. Cauponæ, seu vinitores, aut vendentes vinum tenentur, quantum possunt impedire excessum in potu, & denegare petentibus, quando agnoscunt certo moraliter esse inebriandos, vel inebriatos; alias cooperantur eorum peccatis: nec excusantur ex eo, quod amittant emolumentum, aut lucrum: quia hoc non prævalet gravi damno spirituali proximi. Verum in dubio non tenentur abstinere a vini venditione, nec anxii pro inquirendo eventui futuro.

32. Ex dictis sequitur 1. Ebrietatem esse peccatum mortale non solum dum actu privat usu rationis, sed etiam dum quis exponitur periculo talis effectus; quia licet totaliter non amittat usum rationis, si tamen se ingurgitet usque ad vomitum, vel ita ut pedibus vacillet, duplicia cernat objecta, domus in girum duci sibi videatur, aut lingua titubet, proculdubio tamquam ebrius reputandus est. In quo notari oportet, in ebrietate esse plures gradus, sicut etiam varia temperamenta hominum: unde potus moderatus respectu unius, erit excessivus respectu alterius, propter debilem capitis complexionem: quomodo cumque ergo verificetur ebrietas sive ex parvo, sive ex longiori potu, vel periculum illius, erit peccatum lethale.

33. Sequitur 2. Confessarium non posse absolvere ebriosos, priusquam sufficienter experientia testimonium reddant suæ emendationis, pro quo nota differentiam inter ebrium, & ebriosum: quod ebriosus significat habitum, ebrius vero actum. Ebrius est, qui ob nimium potum caret actualiter usu rationis: ebriosus vocatur, qui consuetudinem se inebriandi habet. Igitur ebriosus nequit absolvi, si semel admonitus reddat ad vomitum. Hujusmodi potatoribus debet Confessarius jubere, ne de cætero accedant ad locum, ubi periculum adest se inebriandi, & assignare mensuram, a qua nequeant excedere, quamvis in sua domo cum familia hauriant. Et nisi majori, qua possit severitate, illos advertere ab hoc miser-

Tom. I.

rimo vitio studuerit, in dies incrementum accipiet: nam alia vitia lætate, deorescunt, hoc vero cum senectute augmentur. Severissimi ergo sint Confessarii in arcendo, & deterrendo ebrietatis crimine, præsertim si illud inveiant, quod absit, in clericis, & aliis in dignitate, aut officio publico constitutis, qui tanto gravius delinquant, quanto majus scandalum præbent. *Vide cap. A crapula, de vita & honest. cleric.*

34. Sequitur 3. Non posse impertiri absolutionem, neque ministrari, Eucharistiam ebrio moribundo: quia non solum est incapax ob carentiam usus rationis, sed etiam ob crimen, & peccatum ebrietatis, & idem dicendum est de extrema unctione. Verum si ebrietas non fuerit completa, aut voluntaria, & dederit signa doloris, poterit absolvi, & ungi, & etiam sacramento eucharistia refici, dummodo absit irreverentia. Si tamen solutus sit se voluntarie inebriare, idem etiam nunc præsumitur, quia ex communiter contingentibus iudicium faciendum est.

35. Inq. 2. An ebrietas ita sit intrinsece mala, ut nec esse prescripto medicorum possit quis se inebriare ad recuperandam sanitatem, alio medio deficiente? R. quod in hac controversia satis implexa duplex militat opposita sententia: utraque gravi autoritate intrinseca, & extrinseca munita, quia aperte constat, quæ magis consonet menti D. Tho. Aliud tamen mihi videtur, bibere vinum ad se inebriandum, & aliud bibere illud ad se sanandum. Si igitur hoc sequendum ex prescripto medicorum, ad quos præcipue expectat judicare de mediis ad sanitatem, necessarium omnino fuerit, licitum reputari, quia bibere vinum ex se est licitum, si autem potu longiori corpus indigeat ad salutem, non vitium, sed medicamentum bibendum est. Sicut enim alia medicamenta ministrantur a medicis ad capiendum somnum, vel ad alios effectus, quibus ratio ad tempus obnubilatur, quin ob id illicita censeantur, ita de vino philosophari valet.

36. Verum nec ad vitandam mortem ab alio inferendam, vel aliud quodcumque nocentum extrinsecum evadendum licet se, aut alium directe inebriare, quia

Hh

tunc

tunc non est medium naturale ad tale malum vitandum. Imo qui reum ad mortem damnatum, & rite dispositum, inebriaret titulo pietatis, ut cruciatus non sentiret, graviter peccaret ob eandem rationem. Idem est, si quis se inebriet ad vomitum procurandum, quia ad hunc effectum sunt alia media, ut inquit D. Th. 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3.

I R A.

37. Ira est accensus sanguinis circa cor. Unde dicitur appetitus vindictæ. Est duplex, una ordinata, quæ non est peccatum, ut cum Superiores irascuntur culpis subditorum: juxta illud Psalm. 4. Irascimini, & nolite peccare, quæ quidem gladium justitiæ est. Altera inordinata, de qua in præsentibus, & potest definiti: appetitus inordinatus vindictæ. Inordinatio autem aliquando est ex parte modi: ut si nimirum interius exardescas, vel exterius per signa, aut verba nimis ostendas; & ex parte objecti, ut si injustam vindictam appetas.

38. Ira igitur culpabilis ex genere suo est peccatum mortale, quia contrariatur caritati, & justitiæ. Verum plerumque veniale est, sicut motus repentini, qui in appetitu sistunt. Et etiam ob parvitatem materiæ, ut quando levis vindicta proximo desideratur. Nota, quod ira est unica passio sine contrario. Unde solum cessare ab ea, vel miscere opponitur ei negative, ait D. Thom. 1. 2. q. 23. art. 3.

39. Tres gradus iræ exponuntur a Christo Domino Matthæi 5. Exprobrando errorem Scribarum, & Phariseorum, his verbis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit gehennæ ignis. Pro intelligentia textus, qui quidem difficilis apparet, notandum est, quod Pharisei solum homicidium opere consummatum credebant peccatum; animus vero, voluntatem, aut desiderium homicidii putabant licitum, sicut mechiam solo in corde conceptam. Ad profligandum ergo eorum errorem dixit.

40. Primo, quod peccatum, qui inflammatus adversus proximum desiderat ejus

homicidium, aut grave noxamentum, quod declarat, dicens: omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: hoc est, poena talionis dignus est divino iudicio, cui peccatum internum patens est. Secundo, exponit gradum iræ, cum quis hunc internum homicidii, vel injustæ vindictæ animum signo aliquo externo manifestat: qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Vox racha interjectio est, significans convitium, vel sine cerebro, vel morum pravitatem, vel fortunæ inannitatem. Denique distinguit tertium gradum iræ, seu appetitus injustæ vindictæ aliquo externo convitio consummatum: qui dixerit fratri suo fatue, id est exprobrando stultitiam, quæ est convitium prioris gravius, dignus erit gehennæ ignis. Qui ergo ira succensus grave damnum proximo desiderat, peccat lethaliter: qui eadem ira exprobrat proximum, gravius peccat; gravissime autem qui perfecta ira lædit illius honorem convitio stultitiæ. Ita D. Thom. 2. 2. q. 158. ar. 5. ad 3.

41. Ira, velut vitium capitale, sex habet filias, nempe indignatio, & tumor mentis, quæ perficiuntur in corde. Clamor, blasphemia, & contumelia, quæ consumantur in ore; & rixa, quæ perficitur in opere.

42. Indignatio est, cum quis non vult alium videre, nec cum eo conversari ob aliquod malum ab eo acceptum, saltem in apprehensione: regulariter est peccatum veniale, nisi adsit scandalum, vel cedat in notabile contemptum, damnum, aut odium talis personæ. Potest etiam sine culpa fieri ob rationabilem causam v. g. propter correctionem, ut in parentibus respectu filiorum, & Prælati respectu subditorum.

43. Tumor mentis est motus, seu æstus animi iracundi diversas cogitans vias vindictæ. Erit mortalis, vel venialis juxta quantitatem mali, quod intenditur. Clamor est inordinata, & confusa vocis elatio iram suam demenstrans. Dum fit sine gravi scandalo est peccatum veniale, ut sæpe contingit in mulierculis; in quibus passio, plusquam ratio, vociferatur; aliter autem erit mortale. De blasphemia, contumelia, maledictione, & rixa suis locis erit sermo. D. Th. ibi. a. 7.

AC.

ACCEDIA.

44. Accedia est tristitia de bono spirituali, in quantum bonum divinum est. Odium Dei tristatur de bono divino pro, ut in Deo: invidia prout in proximo: accedia prout in nobis. Si motus accedie sit in sola sensualitate propter repugnantiam carnis ad spiritum, non excedit peccatum veniale, quia tantum est inchoata, & deest consensus, saltem plenus rationis. Est tamen ex genere suo peccatum mortale, quia opponitur caritati, affert enim tristitiam, & tedium de divina amicitia, eoque per exercitia laboriosa virtutum servari debeat, & sic amicitia illam non curet. Verum si tristitia fuerit de operibus virtutum, ad quæ quis non tenetur, non erit mortale.

45. Accedia communiter usurpatur pro eo, quod est torpor, aut pigritia mentis bona inchoata negligentia. Importat quodam tedium operandi, & est quadam spiritualis frigiditas dicta ab accida, vel acetoso, eo quod hujusmodi frigida sunt. Hoc modo regulariter est peccatum veniale: advertas tamen esse valde periculosum statum accedie, gignitque quendam languorem spiritus, qui omnem humorem devotionis exsiccat, mentis soporem, & obscuritatem inducit, unde reddi animam ineptam ad vera, & solida virtutis officia.

46. Dupliciter autem potest esse mortale. Primo, quando inducit ad mortalem omissionem, ut cum quis horreret, & omittit spiritualia bona, ad quæ tenetur, aut dolet se bene fecisse, aut cum proponit in futurum omittere prædicta bona. Secundo, cum inducit ad mortalem commissionem, puta contemptum beneficiorum Dei, quia scilicet nollet esse natus, aut vellet esse bestia, vel desideraret vivere perpetuo in hoc mundo bonis temporalibus immerisus.

47. Vitium hoc velut capitale sex habet filias, quæ sunt: malitia, rancor mentis, pusillanimitas, desperatio, torpor, & evagatio mentis. Malitia, prout in presenti, est voluntaria contemptio bonorum spiritualium, & eorum, quæ impedire possunt peccata. Ut si quis impugnet res spirituales, doleat se esse

Christianum, nosse Deum, & similia. Ex genere suo est mortale, & gravissimum, ut patet peccatum in Spiritum Sanctum. Claudit enim ostium ejus illustrationi. Rancor mentis est amaritudo, & indignatio contra eos, qui ad spiritualia inducunt, ut contra Superiores, Confessarios, & alios, qui illos corrigere, & illuminare conantur. Est veniale, si absit scandalum, nec illis optetur grave damnum.

48. Pusillanimitas est dissidentia, quæ homo fugit opera spiritualia, quæ suas vires non excedunt. Opponitur directe magnanimitati. Est veniale, nisi quis omittat aliquid, ad quod tenetur sub mortali, ut in illo servo pigro evangelii, qui ob pusillanimitatem abscondit talentum in terra. Desperatio est voluntas eterna, quæ peccator abiicit salutem eternam, ex divina misericordia consequendam. Est peccatum gravissimum, & si deliberate fiat, non admittit parvitatem materiæ.

49. Torpor est animi ignavia, quæ præceptorum observantia omittitur, aut negligenter adimpletur. Huc reducuntur somnolentia, otium, pigritia, & similia. Ex genere suo est peccatum mortale. Evagatio mentis est motus inquieti animi, quo quis ex tedio rerum spiritualium se transfert ad delectabilia exteriora. Erit grave, aut leve peccatum juxta qualitatem objectorum. Evagatio potest esse per cogitationem, & dicitur curiositas, vel per locutionem, & dicitur verboritas, vel per actiones externas, & dicitur inquietudo.

50. Inq. 1. An passiones sint vitia, aut peccata? R. neg. quia passio nihil aliud est: nisi quidam motus animæ sensitivæ ad bonum, vel malum. Unde ex se nec sunt vitia, nec peccata, sed materia virtutis, aut vitii. Si enim discordant a ratione, sunt mala, si vero subjacent imperio rationis, sunt bona, & sic fuerunt etiam in Christo Domino ordinata, & moderata a verbo divino. Stoici ceasabant omnes passiones moderatas esse malas; Peripatetici autem passiones moderatas esse bonas, & hæc est veritas sententia, ut ait D. Thom. 1. 2. q. 24. a. 1. & 2.

51. Inq. 2. Quot sint passiones animæ? R.

Ri sunt undecim: Sex partis concupiscibilis, nempe amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, & tristitia; quinque irascibilis, nimirum spes, desperatio, timor, audacia, & ira. Qui regit, subicit, & vincit suas passiones, ita ut rationi obediant, est homo; qui ab eis vincitur, & regitur, est bellua. Amor proprius est Princeps omnium passionum, ac primum vivens, & ultimum moriens in homine.

52. Omnis homo plus minusve eadem habet passiones; sunt enim quaedam affectiones, vel appetitus animae sensitivae connaturales. Differentia inter sapientem, & stultum, inter justum, & peccatorem stat in earum cohibitione, vel dissolutione. Justus moderatur, & ordinat eas ad metam rationis; peccator vero abiens post eas, fit sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Optime dixit Sancta Teresia, quod terra non laborata producit tribulos, & spinas, & ita est intellectus, sive cor hominis; nam si negligit laborem regiminis, & mortificationis passionum, erit cor ejus, sicut vinea pigri plena urticis, & spinis peccatorum. Ut autem accurate fugias adeo execrabile malum, perlege monitum salutare.

MONITUM.

53. Explicatio vitiorum deservire nobis debet, ut ea detestemur, horreamus, ac profigemus; sunt enim hostes nostri infensissimi, sicut Jebusæi populo Dei pergenti in terram promissionis. Exeramus ergo vires, strenue dimicemus, debellemus monstra vitiorum, ut pateat nobis via ad Jerusalem caelestem: nam regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vincenti dabitur manna absconditum, nomen novum, & corona vitae.

54. Arma militiae nostrae sunt caelestia, quibus praecincti gloriosam reportabimus vicloriam. Superbia vincitur humilitate, avaritia liberalitate, luxuria castitate, ira patientia, gula temperantia, invidia caritate, & accedia cum diligentia.

CAPUT III.

De peccatis in communi.

Soboles vitiorum sunt peccata: unde postquam de illis actu est, de istis, quorum notitia valde necessaria est, Confessarii, sermo nobis erit in hoc capite, praevia doctrina D. Thom. 1. 2. q. 71. & alibi. sup. primus motus est libet

PUNCTUM I.

Notio, & effectus peccati.

55. Inq. 1. Quid sit peccatum? R. est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam. Dicitur dictum, factum, vel concupitum, ut indicet omnia peccata cordis, oris, & operis. Licet enim malitia, primario sit in actibus voluntatis; tamen intrinsece reperitur etiam in aliis potentis, ut in irascibili, motis a voluntate; ac denominative, & extrinsece in membris corporis, & sensibus externis. Quamvis autem praedictis particulis solum videatur exprimi peccatum commissionis; verum re ipsa etiam comprehenditur peccatum omissionis: quia affirmatio, & negatio reduciuntur ad idem genus; sicut in divinis genitum, & ingenitum ad relationem, & ideo pro eodem est accipiendum dictum, & non dictum, factum, & non factum, inquit D. Th. ubi sup. a. 6. ad 1. q. 1. ubi dicitur: 56. Dicitur contra legem Dei aeternam, quia omne peccatum est contra aeternam Dei legem, quae tamquam regula suprema ab actionibus humanis inspicit debet. Haec omnis actus humanus, carens debita commensuratione ad illam, evadit malus, ac peccaminosus; unde praefata tam peccati diffinitionem a D. Augustino traditam, ut rectam defendit D. Thomas.

57. Objic. 1. Peccata contra praeccepta humana non sunt contra legem aeternam, sed humanam. Similiter peccata contra conscientiam erroneam nullam legem re ipsa violant: ergo non omne peccatum est contra legem Dei aeternam. R. quod peccata contra praeccepta humana tendunt, non quidem immediate, sed mediate, con-

contra aeternam legem Dei, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Pariter peccata contra rationis dictamen, quod est participatio legis aeternae, juxta illud Psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Unde de omni peccato verificatur esse contra legem Dei aeternam, sive veram, sive existimatam, directe, aut immediate, aut indirecte, & mediate.

58. Objic. 2. Dantur peccata non solum mala, quia prohibita, sed etiam prohibita, quia mala: ergo haec ante omnem legem, etiam aeternam, sunt peccata. R. conc. antec. dist. conseq. Ante omnem legem positivam, conc. conseq. ante omnem legem naturalem, neg. conseq. Nam cum dicitur, quod non omne peccatum ideo est malum, quia prohibitum, intelligitur comparative ad jus positivum, non ad jus naturale; quia relative ad istud, omne peccatum est malum formaliter, quia prohibitum. Si autem consideretur pro priori ad jus naturale, est malum, & peccatum fundamentaliter. Unde illud Apostoli ad Rom. 2. Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt, intelligitur, sine lege positiva, non sine lege naturali, quia omnis rationis compos illuminatur ab eo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1.

59. Inq. 2. Quotuplex sit effectus peccati? R. ex peccato actuali personali duplex praecipue effectus oritur, nempe macula, & reatus ad poenam. Macula peccati lethalis est privatio gratiae relicta ex peccato gravi. Macula peccati venialis est privatio fervoris caritatis. Reatus ad poenam est condignitas ad poenam subeundam. Ipsa poena non est effectus peccati directe, sed dispositive: quia poena est bona, utpote justa. Unde non est malum puniri, sed fieri poena dignum: neque poena facit infamem, sed causa, ut patet in Christo Domino, qui acerbissimas poenas, non pro sua, sed pro nostra causa gloriose pertulit. Alii assignant triplicem reatum ex peccato relicto: nempe reatum culpae, reatum poenae aeternae, & reatum poenae temporalis.

60. Peccatum grave relinquit reatum ad poenam aeternam tam damni, quam sensus. De poena damni constat ex illo

Matth. 25. 41. Discidite a me maledicti: & de poena sensus ibi: in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis suis. Et 5. 46. Ibunt hi in supplicium aeternum. Peccatum veniale ex se solum producit reatum ad poenam temporalem; si autem simul cum gravi jungatur in altera vita, tunc per accidens punitur poena aeterna sibi proportionata: quia universaliter verum est, quod in inferno nulla est redemptio, nec adest ibi medium ad ejus remissionem. Imo voluntas damnati, utpote obstinata in malo, incapax, ac indigna est eam obtinendi.

PUNCTUM II.

De divisione peccati.

61. Inq. Quotuplex sit peccatum? R. cum innumerabiles sint peccandi modi, peccatum plures habet divisiones, quarum praecipuae sunt decem. Primo dividitur in originale, & personale. Originale est, quod a primo parente derivatur, & per originem transfunditur. Personale est, quod a propria cujusque voluntate committitur. Secundo dividitur peccatum personale in actuale, & habituale. Illud est actualis violatio divinae legis, habituale vero est, macula relicta in anima ex peccato praeterito, non expiato per gratiam sanctificantem. Datur etiam peccatum veniale actuale, & habituale. Illud est actualis transgressio legis divinae: istud autem diminutio fervoris caritatis, orta ex peccato levi actuali non dimisso: quae licet sit aliquid macula, non tamen proprie talis.

62. Tertio dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Primum opponitur praeccepto negativo, agendo id, quod per illud prohibetur. Secundum opponitur praeccepto affirmativo, omitiendo actum, qui ab ipso jubetur.

63. Quarto dividitur in mortale, & veniale. Mortale est & dicitur, quod occidit animam, privando eam gratia, quae est vita illius in ordine supernaturali. Veniale est, quod non privat gratia Dei, nec ab eo animam avertit, sed reddit illam Deo minus gratam, tepefaciens caritatis fervorem. Dicitur veniale, quia